



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Eidem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

4 Epistolarum Innocentij III.

non poterimus, sicut nec debemus, sub dissimulatione transire. Huic autem studio tanto diligentius debes insistere, & intentione omnimoda imminere, quanto creatori amplius tua in hac parte sollicitudo placebit, & gloriosius etiam tibi erit, si per tuam instantiam fuerit Domino faciente completum quod non potuit per aliquorum prudentiam seu diligentiam hactenus adimpleri. Datum Laterani.

STRIGONIEN. ARCHIEPISC.

*Epist. 5.
De dilatione
voti sui pro ne-
gocio regni
Vngariae.*

Non est dicendus voti transgressor, qui, quod vovit, de auctoritate sedis apost. iusta tamen ex causa distulerit adimplere. Sanè significavit nobis cariss. in Christo filius noster Henricus Vngariae Rex illustris, quòd cum in regni turbatione consilium & auxilium tuum sibi senserit hactenus profuisse utilitati ejus non modicum derogaret, si Hierosolymam (sicut ex voto teneris) regno pergeres impacato. Cum igitur nobis immineat de honore ipsius Regis & statu regni Vngariae sollicitè cogitare, fraternitati tuae per apost. scripta mandamus, quatenus non prius iter arripias Hierusalem adeundi, quam regnum ipsum fuerit tranquillitati pristinae faciente Domino restitutum, vel super hoc receperis ab apost. sede mandatum. Datum Laterani.

EIDEM.

*Epist. 6.
De reformatione monasterij de Telequi.*

Circa reformationem monasteriorum & augmentum eorum tanto potius tenemur esse solliciti, & ipsorum gravaminibus praecavere, quanto ad nos specialius pertinet & plantare religionem in Dei Ecclesiis, & fovere plantatam. Verum ad audientiam nostram noveris pervenisse quòd monasterium de Telequi ad tantam dissolutionem ordinis & temporalium rerum exinanitionem per Praelatorum est incuriam devolutum, ut nec statutus in eo regularis ordo servetur, nec fratres ibidem ad Dei servitium deputati, congruè possint de ipsius redditibus sustentari. Volentes igitur ut idem monasterium in statum pristinum tuo studio reformetur, illud sollicitudini tuae, quandiu nobis & successoribus placuerit, duximus committendum; per apostolica tibi scripta

mandantes, quatenus taliter ipsius reparationi studeas imminere, ut divini nominis cultus in eo de die in diem potius augeatur, & fratrum necessitatibus vitae necessaria congruè ministrentur. Datum Laterani.

ABBATI SANCTI MARTINI.

EX literis quas carissimus in Christo filius noster Henricus Vngariae Rex illustris ad sedem apostolicam destinavit, nobis innotuit quòd contra serenitatem regiam cum nobili viro A. Duce fratre ipsius temerè conspirasti, cui etiam adhuc diceris inhærere. Cum igitur felicitis memoriae Celestinus Papa praedecessor noster sub poena excommunicationis universis in Vngaria constitutis curaverit inhibere, ne dicto Duci contra salutem regiam consilium darent aliquod, vel juvamen, nos tibi, quem publica fama contra ipsius praedecessoris nostri prohibitionem (sicut dicitur) venisse demonstrat, salutationis alloquium denegantes, ad nostram duximus praesentiam evocandum; per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus usque ad festum exaltationis sanctae crucis proximè venturum nostro te conspectui repraesentares, ad objecta sufficienter & rationabiliter responsurus. Datum Laterani.

FERRARIENSI EPISCOPO.

Cum Ecclesiae per orbem usque quaecumque diffusa ab apostolica sede tanquam a suo capite magisterium recipiant & doctrinam, & stabilitatis debitae munimine roborentur, expedit nobis, qui ad ipsius regimen sumus, licèt insufficientes, Domino disponente vocati, ut sic ad universas Ecclesias nostrae considerationis aciem extendamus, earumque commodis & profectibus imminere curemus, quòd, illo auxiliante qui est omnium bonorum largitor, debitus illarum status per aliquorum insolentiam perturbari non possit, nec contrariis casibus subjacere, sed tam temporalibus quam spiritualibus semper proficiant institutis. Audientes sanè, sicut tuarum nobis tenor aperuit literarum, studium & diligentiam, quam circa relevationem Nonantulanensis monasterij, quod multorum asseritur debitorum onere pra-

*Epist. 7.
De conspiratione facta contra Henricum Regem Vngariae.*

*Epist. 8.
De observatione constitutionum factarum ab ipso in monasterio de Nonantula.*